


LVNÆ DIE 18 M. FEBRVARII A. 2002

A.d. XII Kal. Martias a. MMII

106

M E L I S S A



FOLIA PERENNI LATINITATI DICATA
AUSPICIS DOMUS ERASMIANAE CURAQUE FUNDATIONIS MELISSAE
SEXIES IN ANNO EDITA

EDITOR RESPONSALIS
Gaius Licoppe

COMPOSITRIX
Francisca Deraedt



Avenue de Tervueren, 76, Tervurenlaan, B - 1040 Bruxellis.
Tel. + 32 (0) 475.47.55.18 / Telecop. 02.735.51.32. / guy.licoppe@pophost.eunet.be
Bureau de dépôt : 1040 Bruxelles 4 / Afgifte kantoor 1040 Brussel 4


IN MEMORIAM INCLYTAM LEOPOLDI SEDAR SENGHOR

Leopoldus Sedar Senghor, nonaginta quinque annos natus, vita functus est die 20. m. Decembris anni MMI. Hac occasione diurnarii de eius extraordinaria vita, arte poetica, sapientia politica et præsertim de eius lingua Francogallicæ amore nonnulla commemoraverunt. Nemo tamen quicquam dixit de eius eximio studio in linguis classicis, præsertim in lingua Latina. Quare ille vir mihi dignus visus est, qui lectoribus nostris magis rectiusque innotesceret. ¶ Di ei favisse videntur iam a puer. Natus est ineunte XX sæculo in Senegalio prope oppidum Joal, quod Portugalli XVI sæculo condiderant. Joal fuit eorum ultimum emporium in hoc litore, ubi post eorum discessum mansit grex mixtiorum Christianorum, qui se Portugallos appellare perrexerunt. ¶ Sæculo XIX Francogalli Senegalio potiti sunt atque urbem Dacariam condiderunt. Anno 1848 missionarii Francogalli sedem instruxerunt in oppido Joal, ubi consuetudinem iunxerunt cum indigenis Sereribus, qui ethnicam religionem suam servaverant, et cum ducentis et quinquaginta circiter Christianis stirpis Portugallicæ, qui se habebant « albicolores oppidi Joal » et prosperam vitam agebant; obliiti tamen erant linguæ Portugallicæ atque Christianismum valde mutatum profitebantur. Albicolores oppidi Joal celeriter mersi sunt in nova societate Christiana, quam in dies augebant missionarii. ¶ In hac societate natus est circa annum 1858 Diogoye (i.e. Leo) Senghor regiæ stirpis; in eius stemmate sunt Portugalli, e quibus ortum est nomen gentilicium « Senghor », Portugallice *Senhor* (i.e. dominus). Diogoye Senghor prosperus mercator factus est atque quattuor uxores habuit, quarum una tantum fuit Christiana, liberosque viginti quinque. Domum possidebat in oppido Joal, sed eius mansio principalis erat in viculo Dyilor, qui viginti circiter chiliometris a Joal distabat; ibi in ripa rivi Sine vitam degebat in villa rustica, modo Romanorum. ¶ In hac villa uxor non Christiana nomine Gnilane puerum peperit, qui die 25 mensis Decembris anno 1906 in paroecchia Joal baptizatus est et prænomen Leopoldi accepit. Pater tamen Leopoldi, vir astutus, ortum sui filii in insula Gorea (iuxta Dacariam) officialiter postea declaravit; nam indigenæ ex hac insula orti iure civitatis Francogallicæ fruebantur. Dies officialis eius ortus est 9 mensis Octobris anni 1906, sed solum duobus annis post inscriptus est; tunc prænomen Sedar (i.e. Impudens) ei datum est. ¶ Statim ac Leopoldus Sedar crura satis firma habuit, campos peragrare, naturam inventire atque pecus custodire cum ceteris pueris coepit. Suæ pueritiae memoriam tenebat mirificam. Recordabatur inter alia quam præstanti apparatu ultimus rex pagi Sine patrem suum nonnullis occasionibus visitavisset. Ab avunculo initiatius est cultui traditæque religioni Sererum; cum eo libationes faciebat supra sepulcrum



Photographema a. 1975 Pali factum inter Vitæ Latinæ conventum

conditoris viculi nomine Dyilor. ¶ Pater volebat liberos suos modo Europæo erudiri. Quare Leopoldus Sedar, cum octo annos natus esset, a maternis brachiis ereptus est atque fuse lacrimans suum « regnum pueritiae », ut aiebat, reliquit, scholam missionariorum catholicorum Ngasobil (i.e. Puteus Lapideus) non longe ab oppido Joal sitam petiturus. Ibi primarius studiorum cyclus solum præbebatur. ¶ Quo cyclo percurso, sedecim annos natus, Dacariam missus est in Collegium Seminarium Libermann. Linguam Latinam Græcamque ibi discere coepit. In animo habebat sacerdos fieri atque chorum paroecchiæ cantorum participabat, ubi cantum Gregorianum invenit atque tantum amavit ut in fine vitæ iuberet hunc solum inter suam funebrem cærimoniam audiri. ¶ Patres missionarii, superioritate cultus Europæi imbuti, discipulos in collegio ita educabant, ut fierent « Francogalli nigricolores ». Hoc tamen displicebat Leopoldo Sedar, qui, suæ nobilis stirpis non immemor, ethnicum cultum repudiare solebat. De his ei erat controversia cum Patre directore, quem habebat « coloniastam ». Quæ cum ita essent, Pater ei dissuasit ne sacerdos fieret. In aliam scholam transiit, iam non privatam, cui nomen erat « Cursus secundarius officialis et laicus »; ibi, solus suæ classis discipulus nigricolor, studia secundaria perfecit. ¶ Baccalaureatum philosophiæ anno 1928



adeptus, in Francogalliam migrare debuit ad studia superiōra aggredienda, quod fieri potuit propter patris res prosperas. Parisiis licentiam litterarum (Francogallicarum, Latinarum Græcarumque) in Schola Normali Superiori obtinuit. Ibi condiscipulum habuit Georgium Pompidou, futurum Francogalliæ præsidem, quo cum diuturnam amicitiæ consuetudinem iunxit. ¶ Anno 1935 primus inter Afros factus est aggregatus institutionis superioris in provincia grammaticæ. Tempus tandem advenerat vitæ professionalis incohandæ. Missus est Cæsarodunum (v.

Tours) ad Turones, ubi in lycæo Cartesii linguam Latinam docere cœpit. Imminente altero bello mundano in alium Lycæum proprius Parisios situm translatus est, sed paulo post miles factus bellum participavit. Profligato Francogallorum exercitu, captus est atque duos annos in Germania retentus. ¶ Primæ electiones post bellum in Francogallia factæ sunt anno 1945. Leopoldus Sedar tunc a nonnullis popularibus suis incitatus est ad Senegalensium suffragia petenda, ut eorum deputatus in Nationali Concilio Francogallico fieret. Ei etiam suaserunt ut uxorem nigricolorem duceret, qua Senegalensium animos sibi facilius conciliaret. Electus sedit in Concilio inter socialistas. Nonnullis gravibus muneribus postea in regime Francogallico functus est usque annum 1960, quo res publica Senegalensis sui iuris facta est. Tunc in Senegalia, cuius maxima incolarum pars Mahumetana erat, Leopoldus Sedar catholicus primus præses electus est ; compluries eius præsidis munus suffragiis confirmatum est usque annum 1980, quo id sua sponte depositum. ¶ Uxor nigricolor, quæ duos filios habuerat, divortium anno 1955 petivit. Duo bus annis post Leopoldus Sedar albicolorem uxorem duxit Coletta Hubert ; nullitatem primi matrimonii a Summo Pontifice obtinuit, ut novum matrimonium catholice celebrare posset. Uxor Coletta prædium possidebat in Normannia, ubi post munus depositum Leopoldus Sedar cum ea usque ad finem vitæ mansit. ¶ Ille vir etiam clarus scriptor et poëta fuit ; anno 1945 primum eclogam carminum divulgavit, c.t. « Chants d'ombres » (Carmina umbrosa) ; tanti æstimata sunt eius scripta, ut anno 1984 eligeretur sodalis Academiæ Francogallicæ. Libenter dicebat se esse cantorem « nigritudinis » (Francogallice : *la négritude*), quam in scriptis suis

fuse explicavit ; agebatur de nigritudine ulotrichorum¹, qui Africam incolunt, quæ eadem non est ac ithytrichorum² qui vivunt in India. Multum etiam adiuvit ut constitueretur sodalitas harum nationum, ubi lingua Francogallica adhiberi solet, quæ « Francophonía » communiter vocatur. ¶ Bis mihi contigit illum virum convenire. Primum anno 1975 inter ultimum Vitæ Latinæ conventum, cuius fuit præses honoris causa. Censebat enim et omni occasione data clamabat linguas classicas columnas esse cultus Europæi ; earum institutionem in scholis non solum servandam esse sed meliorem et magis attractivam reddendam. Conventus participes laute recepti sunt apud Dominum Labarrère, urbis Pali maiorem socialistam, quem palam allocutus est Leopoldus Sedar Senghor. Nonnullas sententias adhuc bene recordor. Dixit tunc Africanos cum Europæis non esse comparandos ; apud Africanos enim plus valere præstantiam ducis quam notionem socialismi vel democratiæ. Alia verba recordor, inter conventum prolata, quibus demonstratur insignis modestia humanitasque illius viri. Voluit enim summas gratias palam agere illis missionariis ex Armorica, Normannia vel Alsatia ad Sereres missis, quorum liberali opera sibi contigerat erudiri et cursum honorum inire. ¶ Altera occasio Leopoldi Sedar Senghor conveniendi mihi fuit IV conventus « Academiæ Latinitati inter omnes gentes fovendæ », quem ipse anno 1977 Dacariæ magnifice ordinavit. Tanti faciebat institutionem linguarum classicarum, ut pro discipulis Senegalensibus conficiendam curaverit methodum vivam et eorum specietatibus aptatam c.t. « Africani Latine discunt ». ¶ Leopoldus Sedar Senghor ægre ferebat aversionem, quam suæ cutis color niger apud multos albicolores suscitabat ; humanismo tamen Græco-Latino et Christianismo saturatus, hunc dolorem superare valuit. Universalitatem coluit, non tamquam syncretismum, sed potius ut symbiosi. « Spiritus animismi, aiebat, una cum Deo catholico, eius angelis et sanctis, animum meum pacifice habitant ». Multum amavit traditam linguam ecclesiæ catholiciæ ; in summo discrimine quotienscumque erat, preces proferre solebat Latine. Cum de sua triplici vita recogitaret, i.e. magistri, scriptoris et politici, una, scriptoris scilicet, ceteris excellere ei videbatur ; perfectionem animi culturæ ducebat poesin. ■

Gaius LICOPPE

1. οὐλότριχος : qui habet capillos crisplos.
2. ιθύτριχος : qui habet capillos leves.

IN MEMORIAM AMICI NOSTRI RAINARDI BRVNE

Rainardus Brune, 86 annos natus, quocum Melissæ moderatores per multos annos iucundam consuetudinem Latinam habuerunt, die 26 m. Decembris anni MMI diem supremum obiit. ¶ Eum primum conveni in consessu Societatis Latinæ Saravipontanæ, cuius ambo eramus sodales. Fuit vir affabilis, æquo animo, habitu vestituque semper eleganti. Per viginti annos, quibus consuetudinem cum eo habui, mihi tam immutabilis apparebat, ut crederem eum esse immortalem. In ultima tamen epistula, quam ad nos ante paucos menses misit, nuntiabat finem suæ vitæ appropinquare.

¶ Typographus fuit, cuius elegantia etiam in operibus imprimendis manifestabatur. Complures linguas callebat et carmina pangere solebat Theodisce, Francogallice et Latine. Condidit « Domum editoriam Rainardi Brune », cuius « Bibliothecam neolatinam » suis sump-tibus auxit compluribus operibus, inter quæ inveniun-

tur Genovefæ Immè Sæculorum transvectio et *Maria Capodelania*, Renatique Saksa (i.e. ipsius Rainardi Brune) *Lucere ubique lucernas cœlestes*. ¶ Multa benevolens fecit pro Latinitate, sed infeliciter ad finem vitæ pervenit satis tristis et deceptus. « Animum non perdi-di », ad nos tamen scribebat, « et vos pergitte Latinitatem propagare, ut opus communiter incepsum crescat ! ». ☩

Gaius LICOPPE



DE MENSURA TEMPORIS

I

— *scripsit Gaius Licoppe —*

Si quis iter ærium facit ex Europa in Americam, animadvertisit horam, quam indicat suum horologium, cum Novæ Continentis hora non congrueret.

Caius Iulius Cæsar inter bellum Gallicum, cum ad fretum Gallicum pervenisset, expertus est horas diurnas æstivo tempore in hoc climate longiores esse quam Romæ.


His exemplis monstratur tempus comprehendere et metiri facile non esse.

Quid enim est tempus ? Sine motu, non est tempus. Hoc plane significatur vocabulo, quod est « momentum » ; eius enim primaria significatio est motus ipse, secundaria autem spatium temporis per quod fit iste motus. Philosophandi vero de natura temporis hic non est locus ; propositum nostrum tantum est inquirere, cur homines ad tempus metiendum adducti sint et quibus modis hoc fecerint.

In silvis mediæ Africæ, ubi longinuissimi atavi nostri vitam degisse dicuntur, non sunt varia anni tempora. Per totum annum ibi nascuntur cibi quibus facile vescebantur. De tempore labenti solum dierum noctiumque vicissitudines percipiebant.

Inter hos primitivos homines, sunt qui e silvis tropicis migraverint atque gradatim paulatimque totum orbem terrarum incoluerint. In regionibus magis septentrionalibus eadem vescendi facilitate iam non fruebantur ; notio anni eis patuit, cum eadem tempestatis mutationes statu tempore manifestarentur. Anni tempora respicienda erant, cum ab eis penderet ciborum copia.


Accurior temporis mensura hominibus necessaria fuit ætate neolithica, propter agriculturam remque pecuariam. Astrorum motus observando congruentiam invenerunt inter statam astrorum positionem in cælo et tempus quo grana serenda essent, vel cicuratæ bestiæ procreationis causa coniungendæ, vel etiam quo in altum navigare liceret sine nimio periculo.



Monumentum megaliticum in loco « Stonehenge » dicto


Nonnulla monumenta megalithica adhuc supersunt, ut in Anglia in loco « Stonehenge » vocato et in Armorica in loco « Carnac » dicto, ubi ex ingentium saxorum ordinatione patet eam compositam esse ad statos motus corporum cælestium, præcipue solis lunæque, notandos.

Vetustissimum instrumentum ad diem solarem in partes dividendum aptum ab archæologis repertum est in Ægypto ; regulæ formam habet ; in una extremitate erectus est parvus gnomon, cuius umbræ longitudo horam in regula indicat. Antiqui Ægyptii diem in sex partes dividebant.



Gnomon Ægyptiacus

Huius modi instrumentorum usus longe lateque diffusus est. Apud Græcos vocabatur σκιοθηρικὸν ὠρολόγιον, apud Romanos horologium solarium sive brevius solarium.



η σκαφίς


In regionibus meridionalibus, sicut in Ægypto, in Græcia vel in Italia, solis cursus ascendit fere ad perpendicularm ; quare solaria, quæ sunt in usu, nuncupamus « solaria altitudinis ». In regionibus autem magis septentrionalibus, cum sol supra horizontem minus ascendet, eius directio potius animadvertisit quam eius altitudo ; dicimus ibi « solaria directionis » adhiberi.

Sæculo XIII Anglus monachus, Iohannes de Holywood nomine, Sacrobosco cognomine, mathematicus astronomusque nec non linguæ Arabicæ peritus, tractatum magni momenti conscripsit c.t. « Sphæra mundi ». Inde ortum est commentum novi solarii, cuius gnomon, in medio disco infixus, axi Telluris

parallelus esset. In huius modi solario, gnomonis umbra discum circumit constanti velocitate. Artifices, qui paulo post horologia mechanica fabricare coeperunt, hoc solarii genus imitati sunt, cum efficerent ut horæ versatili indice etiam in disco monstrarentur. Hic usus usque ad nostra tempora servatus est.

Sol, a quo solo pendet temporis mensura in Tellure nostra, tantum interdiu adspicitur... et re vera non semper. Desideranda ergo sunt instrumenta idonea ad tempus metiendum, absente sole. In hunc scopum iam antiqui homines aquarum defluxu usi sunt. Κλεψύδρα Græce, clepsydra Latine vocabatur hoc aquatile instrumentum, cuius temporis mensura valde incerta erat. Ctesibios, physicus Alexandrinus, II sæculo a.Ch.n. clepsydræ addidit mechanismum rotis dentatis prædictum, quo horaria signa monstrarentur.


Nonnulli alii modi temporis metiendi etiam adhibebantur, ut alicuius rei combustio vel harenæ defluxus per exiguum foramen. Hæc vero potius subsidia erant quam horologia.



Temporis mensura ope barenæ effluvii

Sæculo XIII novus temporis metiendi modus apparet, cuius inventor ignotus est. Ille tunc comperit oscillationes certi systematis mechanici semper fieri intra idem temporis spatium. Inde deductum est tempus mensurari posse oscillationes numerando.

Systema oscillatorium¹, sive oscillatum², constabat ex axe ad perpendicularum erecto, « virga » vocato, in cuius summa extremitate ad horizontem affixum est medium veruculum ferreum. Ex utraque veruculi




Mensura temporis in Sinis ope combustionis

extremitate suspensum est parvum pondus. Huic oscillatio motus reciprocus inducitur rota coronaria, cuius dentes alternatim pulsant pinnulas virgæ affixas.

Prima horologia mechanica oscillatio prædicta XIII sæculo in Anglia apparuerunt. Erant permagna instrumenta, quæ solum in præstantissimis ædificiis collocabantur, ut factum est anno 1284 in ecclesia cathedrali Iscæ Dumnoniorum (v. *Exeter*), anno 1286 Londinii in ecclesia cathedrali Sancti Pauli et anno 1292 Cantuarie (v. *Canterbury*) etiam in ecclesia cathedrali. Paulo post huius modi horologia etiam in Francogallia apparuerunt, quorum primum Agedini (v. *Sens*) anno 1319. Hæc horologia robustissima erant atque complura sæcula operata sunt. Eorum tamen temporis mensura non erat vere accurata; error enim cottidie attingebat semihoram vel plus, usque horam.

Ab initio horologiorum mechanicorum usque ad



Systema oscillatorium

nostra tempora, omne horologium constat e sex functionalibus³ partibus:
 ¶ motrum, sive pondere suspenso sive alia potentia instructum, quo incitatur tota mechanica;
 ¶ synthesis rotarum dentibus incisarum, qua vis motoria et motus ceteris partibus transmittitur;
 ¶ occursum⁴ mechanismus, quo vis motoria stato tempore impulsu[m] mechanicæ affert;
 ¶ oscillatum, ad cuius normam tempus mensuratur;
 ¶ systema quo indicantur horæ earumque divisiones;
 ¶ systema quo vis motoria renovari potest.

A XIV saeculo, præter magna horologia de quibus supra actum est, magis magisque parva conficiuntur. In Italia primum, ut videtur, exstructa sunt domestica horologia parietaria⁵. Tunc compertum est horologii motus pulvere et humiditate perturbari, quare eius mechanismus in pyxide plerumque lepide ornata inclusus est. Nonnullis horologiis mechanismus adjunctus est, quo horæ cloccarum sonitu indicabantur.

Prima horologia mechanica vocantur « gothica », instar ætatis qua apparuerunt. Omnes eorum partes solum ex ferro sunt artificiose cusæ a claustrariis vel scutariis fabris.


Renaſcentiæ ætate magni progressus fiunt in omnibus artibus, etiam in horologiorum fabricatione. Orichalcum loco ferri magis magisque adhibetur. Paulatim iam non ferrarii fabri horologia fabricantur, sed artifices novi generis, qui huic soli fabricationi operam dant; liceat eos « horologarios »⁶ appellare.

Ineunte XVI saeculo quidam, cuius nomen nos latet, aliquid novi invenit horologio perutile: ad mechanismum enim movendum loco ponderis instruxit chalybeam spiram elasticam. Hoc modo mobiliora fiebant horologia, cum mechanismi motus a vi gravitatis iam non penderet. Spiræ energia mechanica clavem vertendo renovabatur. Inter primaria horologia hoc novo motu prædicta numeratur magnificentum horologium Burgundiæ Ducum in formam ecclesiæ cathedralis confectum, quod in museo Norimbergensi servatur.

Propter novum motrum elasticum horologia non solum mobiliora, sed etiam minora fieri potuerunt. Prima horologia facile gestabilia exeunte XV saeculo confecta sunt pro regibus eorumque aulariis qui longa itinera facere solebant carruca vecti.

Horologiarii ab eo tempore horologia magis magisque parva fabricari conati sunt, ita ut ineunte XVI saeculo possent in funda geri vel ad collum suspendi. Petrus Guido Mantuensis primus videtur esse, qui huius modi horologia fabricari valuerit. Sæpe tamen minimum solarium eis adiungebatur, cum multo pulchriora essent quam fida. In initio hæc minima horolo-

gia ex ferro tota conficiebantur atque eorum partes solum clavis coniungebantur; non enim ante medium XVI saeculum cochlear in usu fuerunt. Circa medium XVI saeculum horarum indici addi coepimus est index minutalis⁷. (*Continuabitur*) ☐



A sinistris: horologium quod dicitur « gothicum »; a dextris: horologium gestabile solario præditum (XVI saec.).

-
1. oscillatōrius, a, um: hoc adiectivum, quod apud antiquos scriptores Latinos non invenitur, a Christiano Hugenio (v. Huygens) dictum esse videatur. Iam apparet in titulo eius operis Latine conscripti et Parisiis anno 1673 in lucem editi, *Horologium oscillatorium sive de motu pendulorum ad horologia aptato*.
 2. oscillātrum, i: hic est neologismus, quem proponimus. Agitur de parte functionali omnis horologii etiam recentissimi, ad cuius normam tempus necessario mensuratur.
 3. functionális, is, e: cfr C. Du Fresne Sieur Du Cange, *Glossarium media et infimæ Latinitatis*, Parisiis 1883, impressio anastatica Arnaldo Forni Editore, 1981, III p. 626; hic adhibitum sensu moderno technico.
 4. occursórius méchanismus: hæc locutio non invenitur apud Hugenium, sed ibi legitur hoc: « Est autem hic motus reciprocus, nunc in hanc nunc in illam partem, cum dentes rotæ alternatim occurrant pinnulis » (*op. cit.* p. 5).
 5. parietárium hōrolójum: C. Eichenseer, *Collectanea usui linguae Latinae dicata*, Saraviponti, Societas Latina, 1999, p. 272; est horologium ad oculi parietem adfixum.
 6. hōrologiarius, ii: C. Eichenseer, *op. cit.*, p. 277: horologarii fabricatores technici.
 7. minutális, is, e: C. Eichenseer, *op. cit.*, p. 282: index minutarum sive minutalis.

TITVLI ROMANI (SÆC. XVIII-XX)

- *quos proposuit Theodoricus Sacré -*

Quotiens in Urbe versari mihi contingit, quod ter fere in anno solet, inveteratus is mihi est mos, ut multo mane, hora circiter septima semis, archivorum bibliothecarumve nondum reclusis foribus, matutinos pererrem vicos ecclesiamque nescio quam mihi deligam invisendam : ad quam numquam accedo nisi pugillari- bus instructus et calamo. « Quid autem precaturo cum adversariis et graphio? » inquires. Ego vero tempora Romana non propterea adeo ut precibus ipse indul- geam (quamvis mihi Christumque divosque salutanti et crucis signo me muniti sit suave Italicas audire preces et cantiones), sed ut Latinis fruar et delecter verbis in eademque me ingurgitem. Quæ ne mihi gau- dia nimium sint brevia, titulorum, quibus nullus fere caret Urbis paries, verba exscribo, memoriae aliquatenus mando, postea non sine magna delectatione lego saepius. Habes, lector, elegantiarum et Latinitatis aucu- pem. Immo facile fateor me interdum titulos lapi- desque venantem Latinos a ceteris rebus tantopere distineri disquetrahi atque exscribendis verbis tantopere esse intentum, ut (sit venia peccatori !) tabulas pictas Caravaggianas ceteraque eiusdem farinæ artificia præne divina, ad quæ ceteri stupent periegetæ (hora vero ea, quam dixi, non stupent, quippe qui e cubilibus nondum surrexerint) præteream invisa, quod totus sim in tabulis eis marmoreis. Sed, si me consulis, lector (non enim est cur tibi quicquam imperem), operæ pretium feceris, idem si me auctore feceris : mihi crede, lætabe- re. Hoc est enim mirum, ut, dum eis rebus oculos pas- cis, callidas addiscas iuncturas et penitus movearis, non quod tibi iucundum sit eos titulos haurienti plerumque sepulcrales meminisse te esse in vivis, illos, quotquot memorentur, mortuos, sed quia inter ea monumenta reperiuntur quæ divino instinctu atque afflata scripta lapidibusque ab ipsa Venere incisa atque effusa videantur, vel, si secus, tam affabre facta, ut vel verbis ipsis neglectis admirationem tibi facile moveant. Admirare veneres ipsas quibus lapides plerumque nitent, rapere concordia quasi quadam tabularum et verborum venuste dispositorum. Accedit aura ipsa, ambientes loci pii iidemque pulcherrimi, efficacissime positæ inscriptiones : pascitur his omnibus oculus, delectatur mens, locupletatur animus. Immo saepius fit uti lectis atque intellectis unis ædis lapidibus locum eiusque historiam penitus cognoscas rerumque habeas notitiam, quæ, cum sit e axis petita, libellis periegeti- cis par esse videatur. Itaque solet mihi esse eiusmodi ambulatio matutina pro ientaculo, pro cibis vero tituli, quibus sumptis, concoctis, digestis recreatus ac corro- boratus, promptus mihi esse video paratusque diurnos ad labores obeundos. Tunc enim ad tabularia bibliothec-

casque me confero, libros lecturus Latinos sive manu scriptos sive ante tria vel quattuor sæcula typis expres- sos. Ientaculum dixi singulare ; nec tamen spiritualis mihi solet esse potus : nam statis intermittitur inter- vallis lectio sorbillatione caffæ, quæ, ut Italica, ita divini est saporis.

In eis autem titulis quos passim expisci ac pers- crutari soleo, reperiuntur qui ob nativum robur innata- tamque venustatem me numquam non rapiant ; in quo numero ceteris præstare mihi videntur qui renatarum ævo litterarum sunt conscripti : in quibus antiquorum lapidum imitamina saepius est videre. Nec mentem minus alliciunt ætatis barocæ lapides, in quis intelle- gendis atque interpretandis interdum hæsito laborque, quippe qui nescio quomodo eludant legentem eumque remoren- tur vel sententiis nimium productis, vel inter- mixtis ænigmatis, glossematis verborumque iuncturis requisitissimis. Nec mediocriter moveor sæculi undevi- cesimi titulis, id est lapidibus ævi cultu studioque veterum auctorum insignis sive Morcelliani. Illa enim tempestate flos fuit titulorum condendorum artificum qui, cum animi romantici notis, quæ nostrum ad ævum proxime accedunt, lapides illinerent, elegantias renas- centiæ haud fucatas, simplicitatem subtilitatemque antiquas ad vitam quodammodo revocaverunt. Nihil vero titulos Latinos Romæ asservatos in universum æstimenti foedius, nihil inelegantius verbis sæculo xx Latine incisis : siquidem evanescunt hæc comparatione antiquiorum.

Mihi non credis ? At exemplo crede, anno 1996° condito, quod mediante mense Decembri in templo Ignatiano, Collegio illi Romano olim Latinissimo adia- cente offendit atque exscripsi

IHS
IN HAC ECCLESIA
SEPVLTVS EST

P. BARTHOLOMÆVS CASSIVS, S.I.
° PAG, CROATIA, 15.VIII.1575 + ROMÆ, 28.XII.1650
THEOLOGVS ET SCRIPTOR QVI
PRIMAM GRAMMATICAM CROATICAM
ET LEXICON CROATICO-ITALICVM
COMPOSVIT.
BIBLIAM ET RITVALE ROMANVM
IN LINGVAM PATRIAM VERTIT.
IN BASILICA SANCTI PETRI
PENITENTIARIVS ET MISSIONARIVS
APOSTOLICVS ZELO ARSIT.

AB OBLIVIONE VINDICENTVR

MEMORIAM ISTAM ACADEMIA
SCIENTIARVM ET ARTIVM CROATICA
NECNON PROVINCIA CROATIÆ S.I.
ANNO DOMINI MCMXCVI POSVERE.

M. MIKULIN FECIT. 1996

Quem ego titulum cur fastidiam non facile
dixerim ; nisi quod nuda omnia omniue numero
carentia, quod hirta et fracta. Confer cum ceteris ibi-
dem asservatis : idem senties.

Iam ergo, quamvis sit brevis, tamen, cum sit vere
Latina eademque bene rotunda, magis mihi arridet
lamella ænea, quæ anno 1892° in eodem templo affixa
est mausoleo Iohannis Berchmanni, sancti nostratis :

AN. MDCCXCII
ÆRE DATO PROVISVM EST
VT ANTE VRNAM
IN QVA CONDITVM EST CORPVS
S. IOANNIS BERICHMANS
PERPETVO COLLVEANT XII LAMPADES
CVRA PATRVM PROVINCIÆ BELGICÆ E S.I.

Sequitur titulus sepulcralis sæculi XVIII exeuntis,
qui eadem in ecclesia haud procul ab ara maxima legi-
tur, litteris venustioribus et maioribus incisus :

D.O.M.

HEIC APVD MAIORES SVOS SITVS EST
IGNATIVS CAIETANI BONCOMPAGNI LUDOVISI F.
S.R.E. CARDINALIS PRIOR DIACONORVM
QVEM IN PROVINCIA BONONIENSI
CONSVMPHTIS ANNIS XIX CVM POTESTATE
PROLEGATI CVRAT. AQVAR. AGGERVMQ. PVBLIC. AC
TANDEM LEGATI
PIVS VI PONT.MAX.
FLORENTEM ÆTATE ATQVE HONORIBVS VRBI REDDITVM
NEGOTIIS PVBLICIS PRÆFECIT.
AT IIII VIX EXACTO ANNO OMNEM CVRAM DIMISIT
INFIRMA COGENTE VALETVDINE
DECESSIT AD BALNEA LVCENSIA ID. SEXTIL. MDCCXC
EMENSIUS VITÆ SVÆ ANNIS XXXXVII TANTVM.

MARIA EX FRANCISCO CATTANEO CONIVGE TERMV-
LARVM DVCISSA
CINERIBVS TRANSLATIS V KAL. FEBR. MDCCXCI
AC FVNERE INSTAVRATO FRATRI SVAVISSIMO
OPTIMEQUE DE SE MERITO LACRVMAN
M.P.

Anno autem proximo superiore ecclesiam Sanctæ
Mariæ in Via, quæ est in via Chisiana quæque proxime
distat a Sancta Maria in Trivio necnon ab aquis ibi
iugiter scaturientibus (« Fontana di Trevi » Tusce dici-
tur) primum adii. Movit me ibi lapis sæculo ni fallor
XVIII parieti affixus, qui totam historiam loci a primis
uti ita dicam incunabulis eleganter fuseque narrat (his-
toricum enim magis quam epigraphicum dicendi genus
adhibitum esse censeo). Ecce tituli initium :

ANNO A PARTV VIRGINIS MCCLVI ALEXANDRO IV P.M.
SEDENTE
IN HAC ÆDE QVÆ ERAT OLIM DOMVS PETRI CAPOCCII CAR.
MIRACVLVM VNIVERSO ORBI ROMÆQVE PRÆCIPVE NOTVM
ACCIDIT.
NOCTE ENIM AQVA PVTEI IN STABVLQ ISTIVS DOMVS
ADEO SE EXTVLIT EXVNDAVITQVE
VT EQVI IN EO MANENTES PENE MERGERENTVR.
NOVITATE REI EXTERRITI DOMESTICI FAMVL
ET CAVSA DILIGENTER INVESTIGATA
AQVAM EX ORE PVTEI REDVNDARE
IN EQVÆ LAPIDEM SILICEVM IN QVO
BEATÆ VIRGINIS MARIÆ IMAGO DEPICTA ERAT
SVPERNATARE CONSPEXERVNT.
CVMQVE ILLVM EXTRAHERE NON VALERENT
OMNIA CARDINALI PETRO RETVLERVT
QVI STATIM HVC SE CONTVLIT
DEOQVE CONFISVS SVMMA HVMILITATE
LAPIDEM EXTRAXIT
CVNCTAQVE PONTIFICI ENARRAVIT.
QVI RE BENE DISCVSSA ET VERITATE COMPERTA
STABVLVM COMMVTARE IN ECCLESIAM DECRETIV
ITAQUE POPVLO ROM. PVBLICIS SVPPPLICATIONIB. INDICTIS
IN QVIBVS VENERABILIS ISTE LAPIS
IPSO PONTIFICE COMITANTE EFFEREBATVR
IN HOC IPSO LOCO ET PROPE HVNC IPSVM PVTEVM
REPOSIVIT
ET ECCLESIAM EXSTRVXIT NVNCVPATAM
SANCTA MARIA IN VIA.

Eadem autem ædis virorum quoque litteratissimo-
rum II insignitur tumulis, quorum lapides iuxta
ingressum templi sinistra et dextra affixos heic exscri-
bendos curavi. Alter enim, Petrus Antonius Serassi
(1721-1791) nomine, vitæ Tassianæ scriptione et varia
poetarum sæc. XVI Italicorum Latinorumque editione
omnibus innotuerat. Alter autem, cui Francisco Mariæ
Campello est nomen (1665-1759), Arcadum Academiæ
ascriptus, extemporalium versuum facultate mira incla-
ruerat.

PETRO ANTONIO SERASSIO BERGOMATI
PRESBYTERO LITTERATISSIMO.

HIC

MVLTA LATINE MVLTA ITALICE
VERS ET PROSA ORATIONE SCRIPSIT
ELEGANTISSIME

GLORIAM ÆMVLATVS EXCELLENTIVM SCRIPTORVM SÆC. XVI
QVORVM IPSE RES GESTAS CASVSQVE VARIOS
AMCENISSIMO ERVDITIONIS GENERE
MEMORIA COMPLEXVS TENIT.
VIXIT ANN. LXX D. II. OBIT XI KAL. MART. AN. MDCCCLXXXI
PIVS, FRVGI, FESTIVVS, COMIS.

IOSEPHVS ROSPIGLIOSVS DVX ZAGAROLENSIVM
BALTASSAR ODESCHALCVS DVX CÆRITVM
PRINCIPES S.I.R.
AMICO B.M.
CVIVS CINERES IN COMMVNII HVIVS TEMPLI
SEPVLRCO CONDITÆ SVNT.

D.O.M.
FRANCISCVS MARIA
EX COMITIBVS DE CAMPELLO
NOBILIS SPOLETINVS
IN ROMANA CVRIA ADVOCATVS
HVMANIS LITERIS ET ERVDITIONE PRÆCLARVS
VIXIT ANNOS XCIV
OBIIT DIE XVIII MARTII MDCCCLIX.
PAVLVS ET SOLON DE CAMPELLO
EX GERMANO FRATRE NEPOTES
PP.

ME VIXISSE DIV, LECTOR, FORTASSE PVTABIS,
SI NVMERAS ANNOS QVOS NOTAT ISTE LAPIS.
SED NEQVIT ESSE DIV QVOD, CVM EST, TVNC DESINIT ESSE;
QVOD TAMEN ÆTERNVM EST ET SINE FINE DIV EST.
SIQVE OPTAS, LONGO QVAMVIS NON VIXERIS ÆVO,
IMMORTALE DIV HOC VIVERE, VIVE DEO.

LATINE CANVNT

- Anna Elissa Radke & Vinfridus Czapiewski -

AD FESTUM NATIVITATIS CHRISTI IN BACTRIA CELEBRATUM A. MM
Pepigit Anna Elissa Radke

Pastores vigilant montibus horridis,
custodire student nocte gregem macrum,
magnō cumque timore
clamorem procul audiunt

bombarum, facibus non sine splendidis
circumfulget eos Tartareus nitor
furentum legionum,
nusquam militia est Dei.

In terris ubi pax ? Nullus et angelus
apparet. Pereunt peste, siti, fame
parvuli innumerati, -
Salvator nimis haesitat.

Surgite o iterum, vos celebres magi,
regalem et puerum quaerite, qui sciat
sanare et saltiare,
servare et populum suum !

Sub tectum venias, Christe, famelicum,
Bethlem quem genuit, - panis id est domus, -
deletaeque Caburæ
panem da generosius !

IN ANNUM NOVUM
Pepigit Vinfridus Czapiewski

ANNVs NOVVs
EXSISTAT NOBIS
DEO IVVANTE
PLENVs
PACIs AMORIs
IVSTITIAE
ATQVE VBIQVE
VACVVs
BELLO VIOLENTIA
ANXIETATE.

CRICETOLOGIA

- conscripta a Nicolao Gross -

Cricetos Germaniae in summum discrimen adductos esse tutores naturae nos docent¹. Haud facile quidem est has bestias defendere. Nam cum agricolis semper exosi fuerint isti agrorum vastatores voracissimi, tum ipse Alfredus Edmundus BREHM, illustris ille « Pater bestiarum »², mores criceti severissime castigat ; eundem appellat *bestiam corpore admodum bellam, animo eo turpiorem, malignam mordacemque*. Cognatus quidem criceti, notissimus ille *Mesocricetus auratus* e desertis Israeliæ oriundus, multis hominibus in deliciis cum sit, in domibus colitur. Sed cricetus agrorum nostrorum, quamvis etiam formæ lepidæ, ab agricolis multo minus diligitur. Nam iisdem vehementer nocet graminum radicibus destruendis magnisque copiis frumenti devorandis.

Tamen iis, qui vero amore et scientia naturae prædicti sunt, persuasum est omnem speciem animalium sive mordacem sive mansuetam sive foedam sive formosam, quatenus non infestat existentiam aliarum specierum, dignam esse, quæ obtegatur. Nam omne animal est pars øcosystematis, genomatis universalis, qua perdita homines fiunt pauperiores.

Cum in « Speculi Hammaburgensis » commentariis legisset speciem cricetorum periclitari, animum induxi, ut scriberem « cricetologiam », memoriale quoddam cricetorum Latinum. Qua in cricetologia scribenda præcipue nitar auctoritate Alfredi Edmundi Brehm. Idem zoologus vitæ cricetorum perbene peritus aliter ac zoologi moderni non verecundatur mores animalium describere ratione « anthropomorpha ». Sermo Brehmianus redolet tantum leporem priscum tantumque bestiarum scientiam et caritatem, ut dignus mihi esse videatur, quem in Latinum convertam. Primo nonnulla scribam de nominibus cricetorum eorumque etymologia. Deinde criceti aspectum et vitam et mores verbis Brehmii adhibitis adumbrabo. Denique breviter referam, quatenus nunc in Germania criceti periclitentur.

i. De criceti nominibus et locutionibus eorumque origine

Nomen zoologicum : *Cricetus cricetus* Linneus
 palæoslavice : chomestar, chomestoru
 rossice : chomjaku, karbysu
 polonice : chomik
 bohemice / slovace : skrecok, stecok
 serbice / croatice : hrcak
 bulgarice : laluger
 lituanice : staras, balesas, zalcias (?)
 palæoborussice : dutkis, duckis
 theodisce : Hamster
 dacoromanice : hirciog

hungarice : hörcsög

albanice : vjedulle

coreanice : myeongju-jui (nomen zool. : *Cricetus triton nestor*)

iaponice : chosen-nezumi

*Cricetus antiquis Romanis Græcis Gallis ignotus erat. Itaque nomen criceti non est antiquum³. Cricetus præcipue vivit in Europa orientali, in regionibus Germaniæ, quibus minus silvæ est (præcipue Thuringia et Saxonia), deest in terris Scandinaviæ, Anglia, Helvetia, Italia, Hispania, Græcia. Anno 1870 demum cricetus una cum exercitu Germanorum Rhenum transgressus est, ut Francogalli bestiolæ nomina imponeant, quæ sunt « la marmotte d'Allemagne, le hamster »⁴. Inde sequitur nomina vetusta et indigena criceti non inveniri nisi in linguis Europæ orientalibus⁵. Origo verbi palæoslavici *chomestar* (chomestoru) varie explicatur : Vasmer slavista etymologus idem comparat cum verbo iranico : hamæstar – « qui in humum deicit, supprimit ». Steinhauser autem verbum derivat e Gothicō *cham-estar « com-esor »⁶. In lexico Grimmiano verbum comparatur cum sanscrito « sam » – « con-, una cum » et palæotheodisco « samanon » – « colligere » ; hæc explicatio si convenit, « Hamster » valet originaliter « collectorem »⁷. A verbo palæoslavico videntur derivata esse nomina criceti Rossicum « chomjaku » et Polonicum « chomik ». Unum e Lituanicis nominibus criceti, quod est « staras », respondet parti finali verbi palæoslavici⁸. Etiam verbum theodiscum « Hamster », quod late patet, ducitur ab hoc verbo palæoslavico⁹.*

Verbum palæoborussicum affine est verbo Lettico « dukans », quod valet « fuscus »¹⁰. Ceterum apparet verbum Dacoromanicum verbo Hungarico persimile esse. Verbum Coreanicum significat *murem serici* (jui = mus, myeongju = sericum). Quod nomen spectat ad pellem huius bestiolæ mollem et subtilem et levem¹¹. Nomen Iaponicum valet *murem Coreanicum* (chosen = Corea, nezumi = mus).

Unde derivatum sit Latinum nomen *cricetus*, non invenimus. Etiam hoc verbum esse Slavicæ originis verisimile est ; quadamtenus similia sunt verba Bohemica/Slavica et Serbicū/Croaticum. Sed quia desunt mihi lexica linguarum Slavicarum etymologica, de hac re iudicare nescio. Primum locum testem inveni apud Georgium Agricolum, in eius opere quod inscribitur : « De animantibus subterraneis » (1549), p.41 : *istius generis (viverrarum) est etiam hamester, quem quidam cricetum nominant*¹².

In Latinitate mediævali *cricetus* dicebatur *curculio* ; quod verbum præter hunc sensum et sensum origina-

lem (= « vermiculus » frumenti, i.e. eruca papiliunculi *Sitotrogæ cerealellæ*, quæ devorat frumentum) significavit etiam vespertilionem. Ex altera parte verbum palæotheodiscum, quod est *hamastro* vel *hamistro* originaliter etiam significavit curculionem, i.e. erucam *Sitotrogæ cerealellæ*. Ergo utrumque nomen, et *curculio* et *hamastro*, habuit sensum generalem : significavit animal aliquod frumento nocens¹³.

Addantur nonnulla nomina criceti vetusta dialectorum theodiscarum¹⁴ : *Grintsch*, *Gritsch* (in Lusatia Superiore, e mesotheodisco *grutsch*, *grutz*, hoc e Latinitate mediævali : *cricetus*), *Tritscherl* (in regione 'Egerland' dicta, e Bohemico *stecek*). Suebice *cricetus* dicebatur *Amster* sive (per etymologiam popularem) *Angsterer*. Confluentiæ (i.e. Koblentz) dicebatur *Kornwolf* (i.e. 'lupus frumenti'), *Tremoniæ* sive *Dortmundæ Ertwulf* (i.e. 'lupus terrestris', sæc. 16), in regione circa Gottschee sita (slovenice Kocevje, olim fuit « insula » linguæ theodisce) *Üschpar* (i.e. 'Aasbär', 'ursus cadaverinus'), *Zeiselmanus* (i.e. 'mus mustelæ', quia mustela cricetum persequitur).

In lingua theodisca non paucæ inveniuntur locutiones metaphoricae, quæ spectant ad criceti avaritiam¹⁵ et iracundiam. Olim in Germania puella sponsa cistam habebat, qua usque ad nuptias colligebat dona ad dotem comparandam. Quæ cista appellabatur *Hamsterkasten*¹⁶. Sæpe homo tenax et avarus comparatur cum criceto. Actio avide colligendi dicitur *hamstern*¹⁷. Bellis panoctniis et spatiis temporis sequentibus, ubi in Germania famæ erat maxima, idem verbum temporale significabat « nutrimenta clam comparare et illicite recondere ». Iter, quod factum est rus ad nutrimenta hoc modo comparanda, dicebatur *Hamsterfabrt*¹⁸. Oculi hominum avidorum dicuntur *Hamsteraugen*¹⁹ (oculi cricetorum). In media Germania dicebatur armarium magnum et capax et in multas thecas divisum, ut multa penora caperet, *Hamsterschrank*²⁰. Similiter dicitur theca capax *Hamstertasche*²¹. Si homines timent, ne quæ merx cottidiana subito multo carior et rarior fiat, raptim magnam copiam huius mercis emunt. Talis emptio dicitur *Hamsterkauf*²². Si cui merci propter tales emptiones nimis magnum pretium est addictum, hoc pretium appellatur *Hamsterpreis*²³. Merx, cuius magna copia raptim empta est timore caritatis aut raritatis futuræ, dicitur *Hamsterware*²⁴.

Homo iracundus dicebatur *borstig wie ein Hamster*²⁵. Si quis ira incensus sonos edebat, dicebatur *Er brustet wie ein Hamster*, i.e. grunnit more criceti²⁶. Homo bucculentus dicitur habere *Hamsterbacken*²⁷, i.e. buccas criceti.

Locutio moderna theodisci sermonis cottidiani, remissi, non scriptualis, præsertim iuniorum, est hæc : *Ich glaube, mein Hamster bohnert*²⁸, i.e. 'Sum valde stupefactus, indignatus'. Verbum temporale *bohnern* generaliter valet 'pavimentum cera nitidare, nitefacere'. Sed dubito, an hic sensus subsit. Ceterum verisimile est hanc locutionem non spectare ad cricetum agrestem, quem hic tractamus, sed ad *Mesocricetum auratum* animalium domesticum bene notum.

2. Quid scripserit Alfredus Edmundus BREHM de criceti forma, vita, moribus.

« (Cricetus cricetus LINNEVS).

Hæc bestia corpore admodum bella, anima autem eo turpior, maligna mordaxque, assequitur longitudinem integrum circiter triginta centimetrorum ; cauda habet quinque centimetra. Truncus corporis est brevis et obesus, collum crassum, caput satis acutum ; aures membranaceæ mediocris longitudinis, oculi magni et lucidi, crura brevia, pedes digitique pedum subtile, albidi unguis breves ; cauda exit in formam coni, sed paulum est curta. Capilli densi, leves, astricti, paulum nitidi, in corpore superiore sunt lucidi coloris fulvi, qui propter acutas aristas nigras est subgriseus. Macula in buccis sita est flavi coloris. Latus inferius est nigrum, pedes albi.

Cubilia cricetorum constant e magna caverna habitabili unum vel duo metra profunda et obliquo tubo exeundi et verticali tubo ineundi²⁹. Caverna habitabilis specubus cum caverna conditoria coniuncta est. Pro ætate et sexu bestiæ cubilia varie construuntur, planissima et brevissima cubilia fiunt a cricetis iuvenilibus, feminæ cubile est multo maius, maxima fiunt a mari bus vetustis. Cubile criceti facile agnoscitur grumulo, qui situs est ante tubum exeundi et solet instratus esse palea et folliculis³⁰. Foramen, per quod cricetus incidit in cubile suum³¹ semper ad perpendicularium terræ infossum est, interdum tam recte, ut longum baculum eidem infigi possit. Non directe dicit ad cavernam habitabilem, sed deorsum incurvatur nunc directe, nunc oblique. E contrario foramen, per quod cricetus exit³², raro directum est, potius incurvatum versus cavernam habitabilem.

E specubus facile appetit, utrum cubile inhabitetur necne. Si in iisdem inveniuntur muscus aut mucor aut gramen aut eorum parietes sunt asperi, certum est cubile esse desertum. Nam omnis cricetus domum ianuamque domus suæ servat purissimam et ordinatisimam. Caverna habitabilis levibus parietibus instructa minor est aliis cavernis, semper stramento persubtili,

plerumque vaginis culmorum completa, qui sunt substratum perquam molle. Tres specus ineunt in cavernam habitabilem, unus e foramine exeundi, alter e foramine incidendi, tertius e caverna conditoria venit.

Caverna conditoria habitabili persimilis est, rotunda aut ovoides, supra concava, intra levis et versus autumnum frumento prorsus completa. Criceti iuveniles unam tantum cavernam conditoriam condunt, vetusti autem, præsertim mares coniugales³³, qui per totam æstatem semper inferunt, fodiunt sibi tres vel quinque cavernas conditorias, ibique invenitur eadem copia frumenti. Prius per errorem contendebatur cricetus singula genera frumenti inter se discreta accumulare; sed revera grana eodem ordine infert, quo inventit, et sub terra recondit. Raro grana vere purgata sunt a glumis vel folliculis spicarum. Si in quo cubili inveniuntur varia genera frumenti revera inter se secreta, hoc non effectum est criceti sensu quodam ordinandi, sed eo, quod cricetus eodem tempore unum tantum invenit genus frumenti. Cricetus femina (an dicamus «cricetam»?) cubilia alio modo instruit quam cricetus mas; cubile feminæ uno tantum foramine exeundi, sed duobus vel octo foraminibus incidendi instructum est, quamvis eorum, dum fetus est parvus, unum tantum soleat iniri. Lectus puerperii³⁴ est octo vel tredecim centimetra altus et constat e stramento permolli.

Cricetus adversus speciem quadamtenus informem est animal admodum habile. Incedit more erinacei, parvis gradibus, quasi repat, abdomen fere super humum trahens. Si ira incensus est, vehementius movetur et saltibus admodum magnis et altis. Ubi invenit aliquem renisum, præsertim locis, quibus utroque in latere niti potest, nititur in locum superiore. Habilissimus est ad fodiendum. Si eum dolio ingesseris terra completo, statim incipit laborare. Terram refringit pedibus anterioribus, aut, si est dura, et iisdem et dentibus, terram primo abdomini subicit, deinde pedibus posterioribus eripit et post se iaculatur. Si venit sub terram, retrogradiens integros grumulos uno hausto evomet; sed numquam buccas implet terra, ut falso dictum est. Cricetus pedibus anterioribus utitur magna cum habilitate tamquam manibus. Iisdem nutrimenta ad os adducit, iisdem tenet vertitque spicas, quorum folliculos deglubit, ut grana recondat in bursis buccalibus³⁵, iisdem etiam pellem suam curat. Si inopinato turbatur, statim surgit pedibus posterioribus et demittit anteriores propenos, plerumque unam manum paulo submissius quam alteram. Itaque rem, qua excitatus est, torpidis oculis aspexit, promptus paratusque ad eandem aggrediendam et dentes adhibendos.

Sensus criceti altiores videntur esse fere æqualis

facultatis; non animadvertisit quidem unum ex iis aptiorem esse ceteris. Qua est cricetus indole animæ, vix fieri potest amicus humani generis. Innata enim est criceto iracundia vehementior quam ceteris animalibus rodentibus tantulæ magnitudinis exceptis rassis et lemmis³⁶. Propter causam quam levissimam cricetus incipit contumaciter arcere, mussitans imo e corpore sonos edens graves et fuscos, stridet dentibus eosdemque valde velociter vehementerque compulsa. Quanta est eius iracundia, tanta audacia. Se enim defendit ab omni animali aggredienti, tamdiu quam potest. Canes inhabiles ab eo sæpe superantur; soli canes curti³⁷, qua sunt prudentia, eum corripiunt et pæne momento temporis quatiendo occidunt. Omnes canes cricetum oderunt fere tantum, quantum erinaceum, quia stomachantur, quod tantulam bestiolam non statim possunt subigere. Eundem magna cum industria persecuti cum adversario suo indignato prælia committunt, quibus spectatores valde exhilarantur. Cricetus non superatur nisi aliquanto temporis transacto; sæpe non cadit inultus. Non solum a canibus se defendit, sed etiam homines audacter aggreditur, eos quoque, quibus secum nihil rei est. Non raro accidit, ut aliquis quietus cubile criceti prætergressus subito sentiat hanc bestiam ira incensam vestimentis mordendo inhærentem. Etiam equis se immordit seque defendit ab avibus sublatius ipso in ære. Si qui cricetus alicui rei est immorsus, non remittit nisi occisus.

Facile intellegitur animal tam iracundum non posse congregari cum aliis. Catuli nolunt remanere apud matrem, cum primum adoleverunt; cricetus mas moriendo necat feminam, si extra tempus cœundi in eandem incidit. Criceti capti raro tantum pacifice convivunt, si ætate sunt proiecti, numquam pacem habere verisimile est. Catuli, qui nondum habent annum, melius concordant. Evidem diutius alii in cista tres cricetos, qui numquam rixati sunt, sed e contrario sat mites sedebant unus iuxta alium, plerumque unus super alio. Sed criceti iuvenes variorum cubilium statim inter se aggressi pugnam incohant capitalem. Spectaculum iocosum fiet, si cricetum addideris erinaceo. Primo cricetus curiosus aspectat miram bestiam, quæ ipsa vix curat cricetum. Sed mox silentium interrupitur. Erinaceus forte appropinquat contubernali suo, grunnuit stomachantis salutatur, ut territus se convolvat ad sphæræ formam. Nunc cricetus expeditiones facit investigandi. Pilam spinosam odoratus naso suo sanguineo docetur de vi aculeorum multiplici. Ira incensus sphærām propulsat – eheu, etiam manus vulnerata est! Nunc dentes frendit, quiritat, felit, salit in pilam, desilit territus, conatur eam dorso amovere, ut

umerus pungatur, denuo frustra laborat, ut se liberet a monstro, denuo punguntur criceti manus et labia, denique magis stupefactus quam indignatus pedibus posterioribus surgit coram heroe aculeato eumque aspectat cum verecundia perquam ridicula et ira contumacissima aut iram evomit in res aliquas, etiam in alios cricetus prorsus innocentes, quos affligere studet iis morsibus, quos erinaceo destinaverat. Quandocumque erinaceus movetur, saltatio denuo incipit, ut spectator risu pæne rumpatur.

Scilicet cricetum etiam minus concorditer vivere cum aliis bestiis parvis quam cum sui similibus, immo easdem venari ; nam nutritur magnam partem bestiis. Aviculas, mures, lacertas, cæcilias, natrices, insecta etiam libentius devorat quam plantas ; si avem vivam indideris in eius caveam, cricetus rapidissime assultat, primum mordendo destruit alas, capite semel tantum immenso occidit, tranquille devorat. In Regno plantarum ei omnia, quæ quoquomodo devorari possunt, nutrimento sunt. Degluttit virides herbas sativas et alias, legumina, carotas, poma terrestria, eqs, etiam radices nonnullarum herbarum et poma sive immatura sive matura. Cricetus captivus etiam vescitur variiis panificiis velut pane et placenta, butyro, caseo, eqs ; uno verbo, præstat se bestiam vere omnivoram.

Etiam cricetus est hibernator. Qui expergefit, cum primum humus tepefacta et mollita est, sæpe iam mense Februario, si tardissime, mense Martio. In initio nondum aperit foramina obturata, sed quietus in cubili manens penore illato vescitur. Versus medium mensem Martium mares vetusti, mense Aprili incipiente feminæ vetustæ foramen incidendi recludunt. Nunc iam foris quærunt nutrimenta ex agris recenter obsitis, ubi grana diligenter colligunt, frumentum in cubile inferunt. Plantulæ teneræ mox iis melius sapiunt quam grana, inde talia nutrimenta quærunt aut interdum aviculam rapiunt inhabilem, murem, scarabæum, erucam ut prædam gratam.

Eodem tempore solent fodere sibi novum cubile, in quo æstatem degere cogitant, eodemque perfecto mas coit cum femina. Cubile æstivum solet triginta vel maximum sexaginta centimetra profundum esse, cavernæ habitibili instratus est nidus mollis, iuxta quem foditur unica caverna conditoria, si in propinquuo est multum frumenti sativi. Mense Aprili vergente mares se conferunt in cubilia feminarum et per non-nulos dies, ut videtur, concorditer vivunt cum iis ; et mas et femina præstant quandam indulgentiam mutuam eo, quod in periculo unus alterum defendit. Si duo mares veniunt ad feminam, vehementer inter se pugnant, usque dum unus superetur aut fugiat ; sæpe



inveniuntur mares coniugales, quorum corpora sunt obsita magnis cicatricibus, notis pugnæ amatoriæ.

Circiter quattuor aut quinque septimanis post coitum, primum mense Maio vergente, deinde mense Iulio, femina in nido molli atque spisso parit sex vel duodeviginti catulos. Qui nudi et cæci nascuntur, sed iam dentibus instructi sunt et perquam celeriter crescunt. Statim post partum, cum siccati sint, sanguinei coloris sunt et vagiunt more catulorum caninorum. Die secundo aut tertio accipiunt lanuginem, qua mox condensata totum corpus obtegitur. Octavo fere die aut nono oculos aperiunt et per nidum repere incipiunt. Mater curat prolem magna cum indulgentia, patitur etiam sibi alios catulos apponi ad lactandum, etiamsi non sunt æquales catulis propriis. Die ætatis decimo quarto criceti iam incipiunt fodere. Quod ubi primum didicerunt, morosa vetula cogitat catulos suos emancipare³⁸, i.e. eos e cubili expulsat et cogit, ut suo Marte victum suum quærinent. Hoc autem cricetulis videtur bene succedere, nam iam die quinto aut sexto, si vix sunt capillis obsiti et adhuc prorsus cæci, sat belle sciunt gramen tritici pediculis suis anterioribus apprehendere et uti denticulis acribus. Si quod periculum instat, hæ bestiolæ, licet sint aspectu miserabili, agiliter per cubile se movent, et una mox quam aptissime in hunc, alia in illum angulum se abdere scivit, etsi pleræque secutæ sunt matrem. Eadem autem, alias audacissima et fortissima, se præstat ignavam, si agitur de prole defendenda, miserrime aufugit, cum primum animadvertisse aut catulos peti, et una cum catulis se abdit in fundulum alicuius specus, quem quam celeriter versus nidum studet obturare aut mirabiliter cum solertia et celeritate fodiendo prolongare. Catuli matrem per omnes obices sequuntur, per grandinem terræ et harenæ, quam post se iacit. Non assequuntur longitudinem maximam nisi anno transacto ; sed feminæ

mense Maio natæ iam autumno maturæ esse videntur.

Ubi agri flavescent et grana maturescent, criceti valde occupati sunt messe faciendo. Unusquisque secum trahit, si quidem potest, centenarium fere granorum in cubile suum. Nodi lini, viciæ fabæ, pisa videntur præferri ceteris frugibus. Cricetus, qui vivit in agro linorum, haud facile aliud metit ac bulbos lini, item in agro pisorum; sed bene assuefiunt ad alias fruges colligendas. Observatum est vetustos mares coniugales frumento eligendo vacantes frumentum multo diligentius accumulare quam feminas, quibus post ultimum fetum celeriter cubile est fodiendum et caverna conditoria complenda. Cricetus die non laborat nisi ibi, ubi prorsus non turbatur; alias solet laborare noctis prima parte dimidia et mane ante solis ortum. Manibus suis reflectit magnos culmos, morsu præcidit spicas, unguibus apprehendit, cum huc et illuc verte rit, non solum deglupsit, sed etiam grana buccis condit. Itaque bursæ buccales dilatæ complentur abundantiter; interdum unus cricetus quinquaginta grammam granorum potest secum domum ferre. Cricetus hoc modo oneratus aspectum præbet perquam ridiculum et est animal inhabilissimum totius mundi. Talem licet tangere manibus sine ullo timore, nam buccis repletis impeditur, ne mordeat; sed non licet ei tempus concedere, ne granis expressis iterum sit paratus ad defendendum³⁹.

Mense Octobri incipiente, cum frigescit et agri sunt vacuæ facti, cricetus cogitat sibi parare hibernaculum. Primo tubum exeundi a caverna habitabili usque ad superficiem humo obturat, deinde obstruit foramen incidendi, intrinsecus, interdum non usque ad superficiem. Si vacat aut gelu timet, sibi fodit nidum etiam profundorem et cavernas conditorias frumenti etiam profundiores, ubi condit penora sua. Stratum eius est perparvum et instruitur denso stramento subtilissimo. Nunc hibernator pigerrimus⁴⁰ cibis se complet, ut pinguescat, et convolutus obdormiscit. Criceti in cubiculo semper calefacto possunt servari per totum annum vigilantes; sed talis cricetus tam male se habet, ut mox moriatur.

Peropportunum est cricetum, qui interdum horrendæ est fecunditatis ideoque agricolis ingens infert damnum, tot habere hostes. Buteones, ululæ, corvi, aliaæ aves, præcipue autem putorius⁴¹ et mustela non desinunt eum investigare et necare, ubi et quando cumque possunt. Putorius et mustela magna cricetum etiam in cubile sequuntur, ut considerandi sint eius hostes periculosissimi. Ab his prædonibus agilibus rosor mordax solet superari, quamvis non sine pugna vehementissima. Omnis agricola debet has utiles bes-

tias rapaces tutari; tamen rusticus inscius omnem putorium omnemque mustelam sine ulla venia et misericordia occidit plerumque ignorans, quare hoc faciat.

Nonnullis in regionibus homines veras expeditiones faciunt in cricetos. Exempli gratia in Thuringia sunt, qui lucrum petunt eo, quod cricetos effosso interficiunt. E verbis Domini Lenz elucet tales homines non frustra laborare, sed operæ pretium facere. In duodecim milibus agrorum urbis Gothæ spatio duodecim annorum plures quam quarta pars unius milionis cricetorum capti magistratis urbanis traditi sunt. Magistratus omnium regionum, ubi criceti habitabant, pro omni criceto tradito solebant aliquantum pecuniæ solvere, pro mare aut catulo minus quam pro femina. Lucrum cricetos venandi maximum sunt penora, quæ sibi ingessit mira hæc bestia fera; homines abluunt gramina, siccant, molunt sicut aliud frumentum. Etiam pelles adhibentur, quamvis nondum tam sæpe quam iuvat, nam usus docuit iisdem fieri vestimenta pellicea perbona, levia, diurna. »

Hæc verba ab Alfredo Edmundo BREHM facta sunt de cricetis. Qui suadet, ut mustela et putorius, acerbissimi hostes criceti, ab agricolis obtegantur et criceti in agris capiantur, ut tradantur et merces accipiatur. Sed condicio cricetorum ætate Brehmii omnino alia fuit ac hodie. In Germania quidem periculum est, ne species cricetorum funditus extinguitur. Nuper a biologo quodam Heidelbergensi criceti observati sunt modernis methodis technicis. En, lector benevolæ, cricetologiæ partem finalem.

3. Quatenus species cricetorum in Germania nunc periclitetur⁴²

In agris modernis criceti fame laborant. Mense Augusto enim mestris tritioriis⁴³ agri vastantur usque ad ultimum granum. Ita fit, ut criceti ne quattuor quidem chiliogramma frumenti inveniant, quibus egent ad hibernandum.

Itaque Bonnensis « Societas bestiis feris Germanicis tutandis »⁴⁴ cricetum nominavit « animal anni 1996 ». Præcipue in Germania orientali, ubi criceti ante unitiō nem Germanicam adhuc abundabant, numerus eorum rapide diminuitur. Petrus Boye, particeps magistratus naturæ tutandæ foederalis⁴⁵, dixit: « Cricetus afflictus est eo quod (Germani) sunt inter se uniti. »⁴⁶

Usque ad annum 1990, in multis socialisticis « Communitatibus productionis agriculturalis »⁴⁷ fuerunt « criceticidæ »⁴⁸ mercennarii. Pelles autem cricetorum e Germania orientali in Francogalliam et Canadam exportabantur, ubi adhibentur ad subsumenta⁴⁹ amicu-

lorum fabricanda. Etiam discipuli post institutionem scholarem in agris cricetos vatillis occidebant, ut pro una pelle criceti bona marcam orientalem integrum acciperent.

Sed vita cricetorum Germaniae orientalis Germanis unitis multo molestior facta est. Nam cum a commissariis Unitatis Europae Germanis Orientalibus minor portio lactis fabricandi concessa sit, agricolæ minus colunt plantas a pecudibus vorandas, velut trifolium et lucernam, quæ per complures annos manent in agris. Ideo criceti orbati sunt refugiis suis; non iam evitare possunt mestra tritoria et machinas aratorias⁵⁰. Gubernatores Saxoniae Anhaltinæ interim omnibus agricolis, qui demonstrant se agros ita colere, ut cricetis parcant, præmia solvunt. Pro hectarea⁵¹ agrorum octingenta marcas Germanicas accipiunt, si post messem saltim stipulas frumenti aliquamdiu relinquunt.

Tamen plerique agricolæ contemnunt hanc mercedem cricetos tutandi. Wolfgangus Wendt, cricotologus Magdeburgensis, putat in causa esse « resistantias psychicas ». Nam aliter ac cognatus suus Syrius cricetus Germaniae agrestis a plerisque hominibus non diligitur. Agricolæ adhuc horrent hanc bestiam voracem et buculentum.

Udalricus (Ulrich) Weinhold, candidatus promotionis Heidelbergensis, inde ex æstate anni 1994 studet pernoscere, quales nunc sint condiciones vitæ cricetorum Germanicorum. Prope urbem Manhemiam in agro viginti cricetos cepit, eosdemque instrumentis emissariis instructos in agrum remisit. Hoc modo pernoscere voluit, per quantam distantiam criceti migrarent ad nutrimenta querenda. Sed Weinhold spe deceptus est eo, quod plerique criceti interierunt antequam perquisitio est finita: aut fame aut milvo ave rapaci tredecim criceti mortui sunt. Septem cricetis, qui superstites sunt, mox fuit sedes mutanda: nam loco agri ædificabantur domus.

Quæcum ita sint, curandum est, ut servetur cricetus, quamvis ab Alfredo Edmundo Brehm tam accerime vituperatus. Tempora mutantur, mutata est etiam vita cricetorum. Agricolæ autem rogandi sunt, ut audiant voces tutorum naturæ: *Servate cricetum!* ■■■

Litteræ adhibitæ

BREHM, Alfred Edmund: Tierleben. Editio popularis a Vilelmo Bardoff uno tomo facta. Berlin (Safari-Verlag) 1964, p. 265-271: (*Cricetus cricetus L.*) Der Hamster.

DER SPIEGEL, Nr. 8 / 19.2.1996, p. 220: « Stilles Sterben – Deutschlands Feldhamster sind gefährdet – die verfressenen Nager sind Verlierer der Einheit ».

DUDEN. Das grosse Wörterbuch der deutschen Sprache in acht Bänden. 2., völlig neu bearbeitete und stark erweiterte Auflage. Herausgegeben und bearbeitet vom Wissenschaftlichen Rat und den Mitarbeitern der Dudenredaktion unter der Leitung von Günther Drosdowski.

Mannheim/Leipzig/Wien/Zürich (Dudenverlag) 1993. ISBN 3-411-04732-1.

GRIMM, Jacob/GRIMM, Wilhelm: Deutsches Wörterbuch, 4. Band, 2. Abteilung. DTV (= Deutscher Taschenbuch Verlag) 1984, col. 322 sq.: Hamster.

KLUGE, Friedrich: Etymologisches Wörterbuch der Deutschen Sprache. 21. editio. Berlin/New York (Walter de Gruyter) 1975. p. 286 sq. s.v. Hamster. p. 551 s.v. Pinscher.

TRÜBNERS DEUTSCHE WÖRTERBUCH. Im Auftrage der Arbeitsgemeinschaft für deutsche Wortforschung herausgegeben von Alfred Götz. Dritter Band [G-H], Berlin 1939.

1. Cfr DER SPIEGEL, Hamburg, Nr. 8 / 19.2.1996, p. 220: « Stilles Sterben – Deutschlands Feldhamster sind gefährdet – die verfressenen Nager sind Verlierer der Einheit. »

2. Alfred Edmund BREHM, natus est d. 2 m. Febr. 1829 in *Renthendorf* (prope *Neustadt/Orla*, Thuringia), ibidem est mortuus d. II m. Nov. a. 1884. Filius ornithologi Christiani Ludovici Brehm (1787-1864). Zoologus, multa itinera fecit investigandi in Africam, Hispaniam, Scandinaviam, Sibiriam. A. 1863 factus est director horti zoologici Hammaburgensis, a. 1869 condidit « Aquarium Berolinense », cui moderatus est usque ad annum 1875. Tum perirexit itinera facere. Opus Brehmii principale inscribitur « Tierleben » (i.e. De vita bestiarum). Quod a. 1864-69 sex tomis editum est.

3. Cfr Trübner (Trübners Deutsches Wörterbuch), Berlin 1939, t. 3, p. 309, s.v. ‘Hamster’.

4. Ibid.

5. Ibid.

6. Cfr Friedrich KLUGE, Etymologisches Wörterbuch der Deutschen Sprache (21), Berlin 1975, p. 286 sq. s.v. Hamster.

7. Cfr GRIMM, Jacob / GRIMM, Wilhelm, Deutsches Wörterbuch, 4. Band, 2. Abteilung, DTV (= Deutscher Taschenbuch Verlag) 1984, col. 323.

8. Cfr Kluge, I.I.

9. Ibid. et Grimm, op. mem., col. 323.

10. Cfr Trübner, I.I.

11. Cfr SHIN, Gi-cheol / SHIN, Yongcheol: Sæ urimal keun sajeon (i.e. Novum lexicon magnum linguae nostræ), Seoul 1975, t. 1 (G-S), p. II64, s.v. myeongju-ju.

12. V. ap. Grimm, op. mem., col. 323. Trübner I.I indicat nomen criceti inventari in Fabri Thesauro eruditio[n]is scholastica[re] (1749).

13. Cfr Grimm, col. 323: « wenn sich mit demselben in Deutschland nur der allgemeine begriff eines dem getreide schädlichen thieres verband, dann konnte es in Gegenden, wo der Hamster nicht bekannt war, ..., auf den Kornwurm bezogen werden. »

14. Cfr Trübner, I.I.

15. Cfr Grimm, op. mem., col. 323: « gierig, gefräsig wie ein Hamster sein: ein geitzhals der... über dem todten metall änger als ein hambster über seinen (sic!) eingesambleten getreide, nusse und dergleichen sitzt und wache

hält. *unw. doctor* 207. » Cfr Trübner, I.I : « Die meisten Menschen haben etwas Elster – oder Hamster – artiges und sammeln gern Schätze. *Jeremias Gotthelf, Erlebnisse eines Schuldenbauers* (1852), 151. »

16. Cfr Trübner, I.I.

17. Cfr Grimm, op. mem., col. 323 : « In Düringen und Obersachsen ist auch ein verbum hamstern gierig zum munde führen, gebildet worden, was auch im nassauischen gekannt wird KEHREIN 184 ; einhamstern, was 3,196 fehlt, in dem sinne babsüchtig zusammenscharren, ist landschaftlich weiter, wie es scheint, über ganz Mitteldeutschland verbreitet. » – Trübner, I.I : « Das ist ein schönes Stück in den Silberkästen mehr – immer so zugehamstert. (K.J. Weber, *Deutschland* (1826), I, 134). ‘ein gehamsterter Schinken’ (*C. Busse, Winkelglück* (1916) 109). ‘Die gehamsterten Vorräte waren zu Ende’. (*Essig, Taifun* (1919) 215). »

18. Cfr DUDEN, Das grosse Wörterbuch der deutschen Sprache in 8 Bänden. 2. Auflage, Band 3 [Fas-Hev], Mannheim 1993, p. 1457, s.v. Hamster : « Hamsterfahrten mit meinem Vater, an Sommer – und Herbsttagen vor der Währungsreform’ (*Christoph Meckel, Suchbild. Über meinen Vater. Düsseldorf* 1980, p. II4). »

19. Cfr Grimm, op. mem., col. 323, s.v. HAMSTERAUGEN : « n. pl. : wenn über meine Hüttenschwelle / die habtsucht ihre Hamsteraugen rollt. KL. E.

SCHIMDT pæt. briefe 61. »

20. Cfr Grimm, col. 323, s.v.

21. Cfr Duden, I.I.

22. Cfr Duden, I.I : « Gerüchte über Preiserhöhungen... haben in Prag und anderen tschechoslowakischen Städten zu Hamsterkaufen insbesondere bei Kaffee und Schokolade geführt. (*Welt* 22.7.77, 1). »

23. Cfr Duden, I.I.

24. Ibid.

25. Cfr Grimm, col. 323.

26. Ibid. (definitio Latina invenitur in lexico theodisco-Latino illius FRITSCH I,408 b).

27. Duden, I.I. « Die Hamsterbacken der dicken kleinen Frau sind rot von Rouge und Rage (Hörzu 20, 1976, 29) ».

28. Cfr Duden, I.I. : « R(edensart)... (umgangssprachlich ; ich bin aufs höchste erstaunt, überrascht, entrüstet). » Similis locutio nugalis est *Icb glaub(e) mein Schwein pfeift* (i.e. ‘Puto porcum meum sibilare’).

29. Originaliter : ‘Wohnkammer’, ‘Ausgangsröhre’, ‘Eingangsröhre’.

30. Riegler, Handwörterbuch des deutschen Aberglaubens 3 (1930/31) 1378 sq. memorat olim in Germania grumulos cricetorum et talparum habitos esse pro portentis mortiferis (sec. Trübner, I.I.).

31. Originaliter : Falloch.

32. Originaliter : ‘Schlupfloch’.

33. Originaliter : ‘Rammmer’.

34. Originaliter : ‘Wochenbett’.

35. Originaliter : ‘Backentasche’, angl. cheek pouch, fr. abajoue, hisp. abazon, dacoromanice punga falcilor. Doleo quod t.t. zoologicum non inveni.

36. Lemmus, i m. theodisce ‘Lemming’. v. Der Grosse Brockhaus, t. 12 [Unk-ZZ], ca. a. 1958, p. 603, s.v. Wühlmäuse : « ... der Lemming (*Lemmus lemmus*)... »

37. *Canes curtos appello illos, qui anglice dicuntur ‘pinchers’, theod.* ‘Pinscher’. Cfr Kluge, s.v. Pinscher : Nomen spectat ad caudam et aures huius canis decurtatas (angl. to pinch, fr. pincer, gallorom. *pinctiare i.q. summis digitis compressis aut forcipe aliquid apprehendere. Cfr *equus curtus* PROP. 4,I,20.

38. Originaliter : « ... denkt die unfreundliche Alte daran, sie selbständig zu machen... »

39. Trübner I.I. refert de crudeli actione superstitionis : Germani priores credebant morbos mitigari, si cricetus lente suffocaretur manu hominis ægroti.

40. Originaliter : « der faule Gauch » (« Gauch » est verbum obsoletum, quod valet aut cuculum aut hominem ineptum, mente captum (sic Duden, op. mem., t. 3 [Fas-Hev], p. 1223. Brehm h.l. videtur cricetum hibernantem comparare cum cuculo ; tertium comparationis est ‘pigritia’ ; cuculus dicitur piger esse, quia aliis avibus supponit ova propria.

41. *putorius, ii m. (a putendo, i.e. fœtendo) : i.q. theod. Iltis (*Mustela putorius*).

42. In hac parte cricotologiæ finali comprehendendo argumenta relationis

« Speculi Hammaburgensis » : « Der Spiegel », Hamburg, Nr. 8 / 19.2.1996, p. 220.

43. Ital. trebbiatriche, hisp. cosechadora, francogall. faucheuse-batteuse, theod. Mähdrescher, angl. combine (harvester). Cfr Christian Helfer, Lexicon Auxiliare, ed. 3, Saarbrücken 1991, p. 359 : *mestrum +tritorium.

44. Originaliter : « Schutzgemeinschaft Deutsches Wild ».

45. Originaliter : « Bundesamt für Naturschutz ».

46. Originaliter : « Der Feldhamster ist der Verlierer der Einheit. »

47. Originaliter : « LPG », quod est acronymum : « Landwirtschaftliche Produktions Genossenschaft » (nomen obsoletum).

48. *criceticida, æ m. orig. : « Hamstertöter ». Cfr Grimm, op. mem., col. 323 : « HAMSTERFÄNGER (i.e. captor cricetorum), m. der den hamsterfang gewerbsmäßig treibt : dasz mancher hamsterfänger nur an dem von zehn bis zwanzig hamstern eingetragenen vorrath sich und die seinigen auf den winter mit brod und hülsenfrüchten versehen kann. öcon. lex. 918 s. hamstergräber. HAMSTERGRÄBER, m. der auf den feldern die wohnungen der hamster aufgräbt und das tbier tödtet. »


49. *subsumendum, i n. i.q. ital. fodera, hisp. forro ; fr. doublure ; theod.

Futter ; angl. lining. Cfr subsuere HOR. sat. 1,2,29 et subsutura EDICT. DIOCL.

7,49. Cfr Helfer, op. mem., p. 219 : « Futter (des Kleides) pannus insutus [I.Bau.1806, 1088]. »

50. machina aratoria : cfr Helfer, op. mem., p. 381 [Ei(chenseer)]. ital. autoaratrice ; hisp. moto-arado ; fr. charrue motorisée ; theod. Motorpflug ; angl. motor-plough.

51. hectarea, æ f. : cfr Helfer, op. mem., p. 267, s.v. Hektar : « *hectarea, æ f. [Ei. VL 80, 213] ; *hecatometrum quadratum. »



In hoc fasciculo !

In memoriam inclytam Leopoldi Sedar Senghor [G. Licoppe] p. 1

In memoriam amici nostri Rainardi Brune [G. Licoppe] p. 3

De mensura temporis (I) [G. Licoppe] p. 4

Tituli Romani [Tb. Sacré] p. 7

Musa Latina [A.E. Radke, V. Czapiewski] p. 9

Cricetologia [N. Gross] p. 10



LATINE LOQVI...

OFFICINA PŒTICA

13-20 m. Iulii a. 2002 fiet in Polonia, non longe ab Opolia, in pulcherrimo castello Villa Lapidis, L.V.P.A. adiuvante. Thema erit de pœsi Latina recte pangenda. ¶ Qui plura scire cupiunt scribant ad Annam Elissam Radke, Frankfurter Strasse, 64, D-35037 Marburg (AnnaElissaRadke@aol.com)

FERIÆ LATINÆ

Media in Provincia, in abbatia Sancti Michaelis Ferigoletensis, loco amoenissimo et quietissimo, a die 19 ad diem 26 m. Iulii fient feriæ æstivæ inter quas lingua Latina sit sermo participum communis. Invitantur non solum professores et docentes et studentes, sed etiam tirones et homines cuiuscumque muneris, utpote qui cupiant, cum aliis sodalibus e variis nationibus oriundis, Latine sermocinari, studere, ludere, immo, vivere. ¶ Qui plura scire volunt scribant ad Iohannem Claudium Champeau, 121, chemin des Moulins supérieur, F-06510 Gattières, vel Clementem Desessard, Rés. des Collines, C9, 500, rue Léo Brun, F-06210 Mandelieu

CONVENTICVLVM LEXINTONIANVM

Permultis linguæ Latinæ cultoribus non solum Americæ Septentrionalis regiones, verum alias etiam orbis terrarum partes habitantibus iam innotuerunt conventicula Latine loquentium, quæ Lexingtoniæ in civitate Kentukia quotannis celebrantur. ¶ Conventiculum anno bis millesimo secundo a mensis Iulii die undevicesimo usque ad undetricesimum agitabitur. Eo in primis proposito congregabuntur participes ut periti aliquam ex tempore et volubiliter Latine sermocinandi permultaque Latine exprimendi adipiscantur. ¶ Qui plura scire volunt scribant ad Professorem Terentium Tunberg, inscriptio electronica : clatot@pop.uky.edu

SEMINARIA SOCIETATIS LATINÆ

Seminaria Societatis Latinæ sunt prima huius generis, quæ inde ab anno 1973 instituebantur. Moderatores sunt Dr P.C. Eichenseer, Latinitatis omnium ætatum vere peritus, et D.rix S. Albert, quæ tirones delectabiliter diligenterque in consuetudinem Latine loquendi inducit ac textus Latinos (sed plerumque humanisticos et posthumanisticos) legit, interpretatur atque de iisdem colloquia instituit. ¶ Duo seminaria anno 2002 instituentur : Morsaci (Morschach) in Helvetia : 21-27 m. Iulii a. 2002. ¶ in Belgica in abbatia Maredsolana : 21-27 m. Augusti a. 2002. Qui plura scire volunt scribant ad Societatem Latinam, Universität, FR 5.2, D-66041 Saarbrücken (s.albert@rz.uni-sb.de)

SEMINARIVM SICILIENSE

Domus Latinæ Bruxellensis moderatores una cum sodalibus circuli Latini Panormitani ad secundum seminarium Erycinum participandum invitant quam plurimos Latinitatis cultores, iuniores senioresve, qui censemant linguam Latinam vivo modo colendam atque exercendam esse. Quod seminarium fiet a die 4 in diem 11 m. Augusti a. 2002 in summo monte Sancti Iuliani, olim Veneris, unde ingens patet prospectus ad mare, litus, campos et colles. ¶ Qui plura scire cupiunt scribant ad Professorem Georgium Di Maria, Dipartimento di studi greci, latini e musicali, Facoltà di Lettere e Filosofia, Viale delle Scienze, I-90128 Palermo (moderator@cirlapa.org)

SEPTIMANA AMCENEVRGENSIS

cuius thema est « Latine loqui - Romane coquere » habebitur a die 28 m. Iulii ad diem 3 m. Augusti a. 2002. Et discipuli et studiosi et magistri et alii invitantur ad exercendam loquelam Latinam et colendam rem coquinariam Romanam. Etiam instrumenta musica desiderantur ! ¶ Qui plura scire cupiunt scribant ad Thomam Götzhäuser, Westerwaldstrasse, 13a, D-35630 Ehringshausen (goelzhaeuserpost@hotmail.com)